



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ferdinando Furstenbergio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

F E R D I N A N D O
FURSTENBERGIO.

NObilibus longæ deprenso in collibus Albæ
Crura facer mihi cum lentè percurreret ignis,
Et miseros artus stimulis arthritidis acutis
Ureret, ac toto tentarer corpore, demum
Decubui fessus monitu imperioque medentùm.
Accipe nunc, Fernande, tori quæ commoda nostri,
Deliciæque, quibus cessantem frangere morbum
Sperabam, victorque feros superare dolores,
Moxque frui lætus jucundi gaudia ruris.
Principio apparet lecti modus haud ita magnus:
Tres in fronte pedes, paulò plus tentus in agrum,
Dimidiamque pavimento vix altior ulnam;
Unde solum digitis pulsare micantibus imum,
Perque leves auras jactatis ludere talis,
Mite laboranti solamen. Culcita duris
Durior imposta asseribus, non illa minutis
Aut plumis infarta, aut vellere pinguis Ibero.
Cyniphiis tondent sed quale in vallibus hirci,
Horrentesve apri, Numidæve in montibus ursi,
Tomento oppletur Cilicum de stamine faccus.
Involvit super hunc animosis sospes ab Euris,
Et decimo fluctu, foedisque agitata procellis
Carbasus, afflutis obtendens vulnera pannis.
Nauticus horrescit supremo tegmine cento,
Blattarum ac tinearum epulis subductus, & unde
Diripuere dapes magno certamine mures.
Cætera (quod multo mireris non sine risu)

Re-

Regifico surgunt luxu, textuque renident
Attalico, & Babylonis acu, Phrygioque labore,
Quattuor ingentes Ephyræo ex ære columnæ,
Aurati fulgent quarum alto culmine conii,
Vela ferunt pretiosa, & nobile conopeum.
Sed neque ferventi citiùs de sanguine febris,
Nec dolor abscedit membris, nec pectore curæ,
Textilibus si in picturis aurum inter & ostrum
Jacteris, quàm si plebeia in veste cubaris.
Quod te per nomen jucundum, & fœdera dulcis
Testor amicitia, per sanctæ pignora dextræ,
Per mores, geniumque tuum, miseresce jacentis.
Dumque datur placidos in lucem carpere somnos,
Et tibi lauricomu veniunt infomnia Pindo,
Inspirantque quiescenti nova carmina Musæ,
Dulce aliquid mihi Castalio trans mitte liquore
Perfufum. Forfan vatum Deus, artis & idem
Inventor medicæ, sic me servarit Apollo.